



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

3. Quomodò intelligendum, quòd idem Apostolus dicit, quòd iustificamur
fide sine operibus legis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

Apostolus inquit Roma. 3. Arbitramur hominem iustificari per fidem sine operibus legis, &c. hæc sententia, oportet rectè capiatur: totum quod habet homo, vel est fides, aut est obseruantia præceptorum Dei: his duobus coràm Deo ambulat: Sed Deus fidem in re iustificationis exigit: primò, propter quã vult credentem peccatorem iustum pronuciari, cuius causa est, Quia tota salus nostra atque iustificatio dependet à Dei bonitate, misericordia & gratia, tanquam à causa, & non ab operibus nostris: Dei promissio atque voluntas est, quòd propter Christũ vult nos reputare iustos & saluos, & non propter nostra opera, merita, iustitiam & dignitatem nostram. Huic ergo promissioni oportet assentiri & credere antequam aliquod opus fecero. Fides ergo est aliud nihil, nisi assentiri & credere, & velle sibi exhiberi hanc promissionem gratiæ propter Christum. Hæc sola accipit, id est, fasser/ hanc promissionem Dei: ideò dicit Apostolus, quòd iustificamur fide, id est, iusti reputamur, quia credimus & assentimus diuinæ promissioni sine operibus legis, non propter opera legis, merita, ac iustitiam nostram, sed quia credimus Deo & suæ promissioni. Summa rei est, credere huic promissioni diuinæ, quòd Deus propter Christum, credentem in illum, vult iustificare & saluare, & non propter nostra opera bona & iustitiam. Ex quo sequitur, quòd qui in alia re aut per aliam rem, opus, iustitiam, vult iustificari ac saluari, & non per fidem promissionis diuinæ, is à Christo cadit &c. At' Paulus: Legem ergo destruimus per fidem in promissionem Dei? Absit, immò statuimus: Nã obedientia Legis debet sequi iustificationem in gratiarum actionem accepti beneficij, in retentionem illius, Roman. 8. ad sacrificia offerenda Deo. Non debet præcedere, quasi propter merita & iustitiam Legis contingat iustificatio: misericordia & gratia
Dei

Dei propter Christum promissa exhibetur per fidem: qua accepta, sequi debet obedientia Legis. Et sic placet Deo, quia per fidem persona iustificata est, habetque sua præmia in hac & post hanc vitam, 1. Corinth. 3. Non ergo Lex, id est, bona opera destruuntur, sed statuuntur, quia docetur quòd debet esse fructus iustificationis, qui ostendunt & declarant adesse iustificationem in homine. Et quia Deus propter suam promissionem gratuitam vult credentes in Christum iustificare, sequitur quod nec opera præcedentia fidem aut sequentia, iustificanc effectiuè, sed benè declarant & ostendunt. Soli ergo Deo gloria propter suam immensam misericordiam.

CAPVT VII.

ARGVMENTA.

1. *Quomodo clarè & rectè intelligitur, quòd fides iustificet absq; operibus legis.*
2. *Quid per opera legis intelligi velit Apostolus.*
3. *Quòd non reijciuntur bona opera, sed exiguntur, ac sola falsa opinio de illis reijcitur.*



Postolus vbiq; quærens ac laudans gloriam gratiæ Dei, Ephes. 1. apertè inquit Rom. 3. Arbitramur hominem iustificari fide absq; operibus legis, hoc volens, cum origo & causa nostræ iustificationis & salutis dependeat & consistat à promissione Dei, quòd Deus propter suam bonitatem & misericordiam promisit se nobis velle misereri propter Christum quem credimus. Et illum constituit solum propitiatorum nostrum, propter cuius sanguinem nostrum vult misereri, Rom. 3. Non proposuit Deus aliud propitiatorium, propter quod promitteret se velle nostrum misereri.